DE

DYSCRASIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS HISTORICO-PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVIII. M. MARTII A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIAN. BENEDICT. JAFFÉ

HAMBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

HENR. LADENDORF, med. et chir. Dr., med. pract.

FRID. RAVOTH, med. et chir. Dr.

JUL. KIRSCHSTEIN, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0181

VIRO

ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO, AMPLISSIMO

CHR. GOD. EHRENBERG,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI ET IN HAC LITERARUM UNIVERSITATE PROFESSORI P. O., ACADEMIAE SCIENTIARUM REGIAE BEROLINENSIS IN CLASSE PHYSICA ET MATHEMATICA SECRETARIO PERPETUO, ORDINIS BORUSSICI PRO MERITO IN SCIENTIIS ET ARTIBUS, NEC NON ROSSICI ORDINIS SANCTAE ANNAE IN CLASSE SECUNDA ET ORDINIS BORUSSICI AQUILAE RUBRAE IN CLASSE TERTIA CUM FIBULA AUREA EQUITI, ACADEMIAE SCIENTIARUM BORUSS. BEROLINENSIS, LONDINENSIS, PETROPOLITANAE, SUECICAE HOLMIENSIS, BAVARICAE, PARISIENSIS, HAVNIENSIS, ALIARUMQUE NOBILIUM LITTERARIARUM SOCIETATUM SODALI,

NEC NON

VIRO

CELEBERRIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

ROBERTO FRORIEP,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA ET IN ACADEMIA ARTIUM, MUSEI ANATOMICO-PATHOLOGICI IN NOSOCOMIO BEROLINENSI CARITATIS PROSECTORI, REGI A CONSILIIS MEDICIS, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC.

AC

FRATRI

DILECTISSIMO, HONORATISSIMO, DOCTISSIMO

LUD. BENEDICT. JAFFÉ,

MEDICO PRACTICO, SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICAE
BEROLINENSIS SODALI,

VIRIS

SUMME DE SE MERITIS ET PIO GRATOQUE ANIMO
USQUE AD TUMULUM

SIBI COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

MENTE GRATISSIMA

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Vox dyscrasiae (a δυς et κρᾶσις, prava mixtio) inde ab antiquissimis historiae medicae temporibus vario sensu a variis scriptoribus adhibita et modo ad omnes morbos, qui corpus humanum infestant, modo ad singulas affectiones relata est. Alii vocem illam ita explanabant, ut sit prava mixtio humorum, qua ex depravatione nonnisi morbi sic dicti universales et constitutionales orirentur, alii tamen dyscrasiam et localem esse posse contendebant (1), itaque et universalem et partialem dyscrasiam existere ratiocinabantur. Alii dyscrasiam, diathesin et cachexiam unum idemque esse affirmabant, alii dyscrasiam et cachexiam eadem cachexiae voce complectebantur (2), alii dyscrasiam malam humorum mixtionem, cachexiam autem malum solidorum statum esse definiebant. Videmus igitur hac in re haud minus quam in aliis artis medicae partibus summam autorum discrepantiam, ne dicam confusionem exstitisse, qua hodie etiam medici practici inducti haud raro

---

(1) Cf. K. W. Stark, allgemeine Pathologie oder allgemeine Naturlehre der Krankheit. Lpzg. 1838. Zweite Abtheilung p. 913.

(2) A. P. Brandis, Nosologie und Therapie der Kachexien. Berlin 1834. Th. I. p. 149.

morbos nomine dyscrasiae appellant, ad quos definitio illius minime referri potest. Non est autem temporis nostri, in quo omnes fere disciplinae, inprimis autem scientiae naturales tantos fecerunt progressus tamque profunde elaborantur, ut genus humanum antea dormiisse tantum, nunc autem expergefactum et elasticitate quadam supranaturali praeditum esse videatur — non est, inquam, temporis nostri in labyrintho circumerrare sine ullo filo, et operae est pretium, incerta stabilire, indefinita certis finibus circumdare. Proposui igitur mihi symbolam afferre ad accuratiorem vocis dyscrasiae definitionem, et de divisione eius brevi disseram. Tum autem historiam dyscrasiae succincte et quam potero accurate dabo, et exponere tentabo autorum et antiquitatis et recentioris aetatis opiniones de prava mixtione humorum, ut inde appareat, quid viri docti hac de re senserint, et quomodo lux veritatis modo clarius illuxerit, modo profundis tenebris obscurata sit. Bona enim est magistra medicae artis historia, ut historia universalis; docet enim quinam errores sint vitandi, ne quum progredi cupiamus regrediamur et a veritatis via aberremus. Amplus est labor, bene intelligo, quem mihi proposui, imperfecta executio, itaque veniam imploro virorum doctorum et benignitatem, ne quis ironice mihi acclamet: In magnis et voluisse sat est.

CAPUT PRIMUM.

Nosographia dyscrasiae.

Dyscrasia s. cacochymia est mala totius sanguinis et lymphae mixtio, qua existente vitae integritas servari nequit et praecipue productivitas organica affecta est. Est autem dyscrasia vel primaria vel secundaria. Dyscrasiae primariae sunt eae, quae vel connatae vel hereditariae vel e vitio quodam organico ortae, idiopathicam humorum depravationem constituunt, de quibus hoc loco solum sermo erit, quippe quae classem morborum specialem efficiant, quam pro cachexiarum classe substituere cupimus. Ex hoc numero sunt Scrophulosis, Rhachitis, Pseudoplastosis (1), Cyanosis, Chlorosis et Dyscrasia exanthematica.

Dyscrasiae autem secundariae eae sunt, quae diversissimis caussis externis in corpore sano creantur, ut Scorbutus, Dyscrasia pauperum, Arthritis, aliae.

Dyscrasiae primariae, quas *κατ' ἐξοχήν* dyscrasias appellabimus, sunt morbi chronici, qui interdum etiam e moli-

---

(1) Pseudoplastosis mihi est id dyscrasiarum genus, in quo pseudorganisationes, ut tubercula, scirrhus, fungus cet., in corpore humano formantur.

mine naturae sanandi acutam induere possunt formam, quae quidem completam dyscrasiae resolutionem et abolitionem efficere non potest, sed vel stadio acuto finito feliciterque superato dyscrasiam stationariam reddit, vel aegrotum ad mortem trahit. Forma dyscrasiae acuta nihil aliud est, nisi secundum illius stadium, quod semper accedat minime necesse est. Dyscrasiae semper sunt affectiones totius organismi atque omnium corporis humani humorum, morbi igitur constitutionales, qui interdum nonnisi ex signis localibus cognoscuntur. Sic in tuberculosi tubercula, sic in dyscrasia scirrhosa, fungosa, lipomatosa scirrhi, fungi, lipomata nihil sunt nisi mali universalis signa localia, symptomatica. Dyscrasiae porro ex praesenti quidem scientiae statu insanabiles sunt; zoochemia enim pathologica, ad cognoscendam humorum corporis mixtionem et physiologicam et pathologicam maxime necessaria, nondum tantos fecit progressus, ut dux therapiae esse possit. Dyscrasias modificare, lenire, continere possumus, non autem totam sanguinis mixtionem permutare et novum quasi fluidum vitale in corpore creare.

Definitio nostra dyscrasiae primariae et eas affectiones excludit, quae e contagiis vel miasmatibus vel e constitutione quadam epidemia vel endemica vel atmosphaerica oriuntur, ut syphilis, febris intermittens, pustula maligna, in quibus mixtio humorum depravata est — et illam humorum depravationem, quae fit introductione substantiarum organismo sano hostilium neque adaequatarum, uti puris, saniei, bilis etc.

De distinctione inter dyscrasiam, cachexiam et diathesin pauca sufficient. Vox cachexiae (a κακός et ἕξις, malus habitus), ut symptomatica tantum et accidentalis, plane reiicienda

esse nobis videtur significans classem morborum, et mirandum sane est, quod omnes fere nosologi vocem illam in systemata nosologica receperunt. Symptoma quidem dyscrasiae est habitus cachecticus, non autem ipsa affectio. — Diathesis (a *διατιθέναι*) proprie est dispositio ad morbos, speciali autem sensu de dyscrasiis adhibetur, itaque nostra quidem ex definitione idem significat quod dyscrasia primaria.

Sequelae dyscrasiae variae sunt: abnormis et vitiosa secretorum et excretorum qualitas, nutritio et reproductio partium solidarum depravata, genesis pseudo-productionum. Lympha, quae fluidum processus nutritivi residuum sanguini denuo adducit, in dyscrasiis vitiata est, unde morbi systematis lymphatici. Porro localia organorum secernentium et excernentium vitia oriuntur, nisu eorum materias abnormes a sanguine separandi et eliciendi, e. g. hepatis et lienis obstructio, morbi renum, desorganisationes systematis cutanei. Omnes fere morbi chronici cutis, exanthemata, ulcerationes secundariae fiunt e mala sanguinis mixtione. Inprimis autem pulmones afficiuntur, per quos tota massa sanguinis transit, quique assimilationi simul et excretioni inserviunt. Novae denique oriuntur secretiones et excretiones partim e metastasibus pathologicis, partim e nisu naturae depravata sanguinis elementa alia quam solita via excretoria eliminandi.

CAPUT SECUNDUM.

Historia dyscrasiae.

Hippocrates, pater artis medicae, primus erat, qui humores basin omnium morborum esse statuebat, quamvis

nondum ad ideam universaliter aegrotandi sese attollere potuerit. Corpus ex sanguine, pituita, atra et fusca bile constat, quorum ex deficientia, abundantia vel prava ratione omnes morbi oriuntur (1). In quocunque morbo acuto humores depravantur, et natura studet illos ita praeparare, ut e corpore educi et eiici possint. Jam Anaxagoras bilem pro acutorum morborum caussa habuerat, itaque Hippocrates pathologiam humoralem, quae sine dubio inde a primordiis artis medicae praevaluit, non creavit, sed excoluit. Neque mirandum est, quod humores inde ab initio pro elementis morborum habiti sunt, mutatio enim secretionum et excretionum in plerisque morbis facillime observatur, unde fit, ut observatores id basin mali statuant, quod effectus tantum alius caussae est. Itaque etiam Galenus (2) de Hippocrate ait: *Οὐκ ἠξίωσε γράφειν αἰτίας ἐξ ἐπινοίας, λογικῶν ἀξιωπιστότερον ἡγούμενος ἀεὶ τὸ φαινόμενον ἐναργῶς.* — Plato continuam harmoniam omnium partium et fluidarum et solidarum finem et essentiam vitae esse dicit, morbum autem substantiae vivae similem essentiam et certum decursum habere.

Elementorum physicalium mala ratio caussa proxima morborum est; depravatio humorum e depravatione elementorum originem ducit. Atra bilis morborum chronicorum caussa est, quae fit e partibus musculorum senilibus, duris (cf. Timaeus). Dogmatici opiniones Platonis secuti sunt, et Thessalus et pituitam frigidam et sanguinem calidum pro caussis morborum duxit. Secundum Praxagoram e partibus fervescentibus hu-

(1) Hippocrates de natura humorum p. 264.

(2) Galeni comment. I. in libr. Hippocr. de articulis.

mores biliosi fiunt, indeque morbi acuti et biliosi; e frigidis elementis humores phlegmatici et morbi chronici gignuntur (1). Aristoteles sanguinem vel crassiorem vel tenuiorem, vel nimis aquosum vel sicciorem, vel calidiorem vel frigidiorem pro caussa proxima morborum habet, qui quidem interdum etiam pituita, bili et sero sanguinis admixtis fiunt. Erasistratus liquidum tenue vitae pabulum statuit, et ex eius errore morbos explanat. Sanguis his in erroribus quum in minutissima vasa intrat, fit inflammatio; quum autem per totum corpus usque ad eos effervescit, febres gignuntur. Servili observantia sectatores in magistri verba iurabant, nihil fere memoratu dignum praestantes. Ex Herophili sententia „in humidis omne vitium est,“ ut Celsus ait, neque aliud Alexandrini ratiocinabantur. A Graecis transgredimur ad Romanos, apud quos Asclepiades nobis occurrit, qui pathologiam humoralem sibi odiosam tollere studuit.

Ut status sanus in motione aequali, non turbata *τῶν λεπτομερῶν* (atomorum) consistit, ita quoque morbus nihil aliud est nisi motionis illius perturbatio. Differentia morborum in diversa elementorum locorumque vacuorum conditione sita est, et in humoribus caussa occasionalis tantum invenitur (2). Themison, scholae methodicae conditor, primus cachexias accuratius definivit teste Caelio Aureliano (3), qui de illo ait: „Ante Themisonem curationem cachexiae

(1) Galen. de natural. potent. libr. II. p. 104. de. Kuehn.

(2) Asclepiades quoque primus morbos in acutos et chronicos divisit.

(3) Chronicorum libr. III. c. 6. p. 461.

nullus ordinavit; ipsam namque secundo libro tardarum passionum, itemque primo atque quarto Epistolarum memoravit.“ Idem autor qui librum suum ex opere ampliore Sorani maioris de morbis chronicis excerpsit, loc. cit. de cachexia talia profert: „Sequitur cachecticos pallor subalbidus, aliquando etiam plumbeus color, debilitate tardus ac piger corporis motus cum inflatione inani, aliquibus etiam ventris fluor cum febricula lente in pluribus latente, quae circa vesperam magis augetur, pulsus creber et densus, cibi fastidium, et vini magis adpetentia, urina fellea et extensio venarum.“ Celsus cachexiam tabis formam appellat itaque describit (1): „Altera species est, quam Graeci καχεξίαν appellant, ubi malus corporis habitus est, indeque omnia alimenta corrumpuntur. Quod fere fit, quum longo morbo vitiata corpora, etiamsi illo vacant, refectionem tamen non accipiunt, aut quum malis medicamentis corpus affectum est, aut quum diu necessaria defuerunt, aut quum inusitatos et inanes cibos aliquis assumpsit ubi quiddam simile incidit. Huic praeter tabem illud quoque nonnunquam accidere solet, ut per assiduas pustulas aut ulcera summa cutis exasperetur, vel aliquae corporis partes intumescant.“

Pneumaticis, qui eadem temeritate, qua Empirici materiae, Methodici formae, essentiae vel speculationi acquiescebant, mixtio humorum non parvi erat momenti. Secundum eos calor et humiditas coniuncti statui sano maxime congrui et idonei sunt, calor et siccitas gignunt morbos acutos, frigus et humiditas affectiones phlegmaticas, frigus et siccitas

(1) Celsi de medicina libr. III. c. 22.

melancholiam. Putredo est quaevis humorum depravatio, quae in omnibus morbis acutis praevalet.

Praetermissis Empiricorum opinionibus ad Galenum properamus, qui primus accuratam dyscrasiae descriptionem nobis offert. Morbus est status (διάθεσις) corporis, in quo functiones laeduntur, status abnormis partium aequabilium vel organorum. Morbi partium aequabilium maxima ex parte e mala elementorum ratione originem habent. Quae autem mala ratio in eo consistit, ut unum vel duo elementa praevaleant, unde fiunt octo dyscrasiae.

Caussae morborum aut proximae aut remotae, aut externae aut internae sunt. Internae (προκαταρκτικαί) plerumque in humoribus sitae sunt, vel nimis abundantibus vel depravatis. Humorum depravatio est putredo, quae in quacunque febri ephemera sola excepta existit. Febris intermittens quotidiana ex depravatione pituitae, tertiana e fusca bile, quartana ex atra bile originem ducit. Ut autem clarissimi auctoris opinionem de dyscrasia clarius et accuratius intelligamus, ipsum audiamus loquentem. Ait enim (1): „Constat autem morborum compositorum compositas quoque omnino esse caussas. Si namque caussa calida simul et sicca in unum aliquando calidum coierint, calidum atque siccum morbum procreari necesse est; si calida et humida, calidum et humidum; ita quoque in reliquis duabus coniugationibus humida et frigida ac sicca et frigida.

Saepe ab omnibus caussis specie inter se similibus cor-

(1) Cf. Galeni περὶ τῶν ἐν τοῖς νοσήμασιν αἰτίων ed. Kuehn. L. VII. p. 20.

pus alteratur, saepe vero his facultate contrariis existentibus, interdum ex ipsis eas evincunt, quae numero plures, interdum quae tempore diuturniores, interdum quae robore potentiores, interdum denique ab utrisque corpus laesionem accipit. Etiamsi fieri non posse videatur, ut unum idemque corpus et calidius simul et frigidius naturali temperamento, et rursus humidius ac siccius efficiatur, attamen id oboritur; meritoque inaequalis nominatur intemperies (*δυσκρασία*)." Porro de diathesi ait (1): morbus definitur constitutio (*παρασκευή*) quaedam praeter naturam, a qua primum actio laeditur. Constat autem et si eum esse affectum quendam praeter naturam (*διάθεσιν παρὰ φύσιν*), a quo actio laeditur, nos idem dicturos. Nam quicquid est, sive sanum sive aegrum sive neutrum sit, aliquo modo afficitur. A *διατίθεσθαι* vero i. e. affici *διάθεσις* i. e. affectus nomen quodammodo derivatum est in hunc usum non ab antiquis solum philosophis, sed etiam aliis Graecis. Enimvero affectus (*διάθεσις*) omnibus tum sanis tum aegris tum neutro modo se habentibus est commune.

De ipsa denique dyscrasia talia edit (2): Inaequalis temperies (*ἀνώμαλος δυσκρασία*) fit interdum et in universo animalis corpore, ut in hydrope, quem aquam intercutem vocant, et febribus quas epialas appellant, et prope caeteris omnibus iis exceptis, quas hecticas nominant. Oboritur autem et in unaquaque parte, quum ea oedemate vel phlegmone vel gangraena vel erysipelate vel cancro obsidetur, huius

---

(1) Cf. Galeni *περὶ τῶν συμπτωμάτων διαφόρας* ed. Kuehn t. VII. p. 43.

(2) Id. *περὶ ἀνωμάλου δυσκρασίας* ed. Kuehn. t. VII.

autem generis est qui elephas vocatur et phagedaena et herpes. Verum haec quidem omnia cum fluoribus consistunt. Citra vero materiam affluentem quum partes solis qualitatibus alterantur inaequales temperies fiunt, iisque utique refrigeratis aut deustis aut praeter modum exercitatis aut feriatis aut aliquid eiusmodi perpessis. Praeterea ex iis quae foris occursant inaequales intemperies nostris corporibus oboriuntur, quum calefiunt vel refrigerantur vel siccantur vel humectantur. Hae namque simplices intemperies sunt, compositae vero ex iis aliae quatuor sunt, quum corpora vel calefiunt simul et siccantur, vel calefiunt simul et humectantur, vel refrigerantur simul et siccantur vel refrigerantur simul et humectantur seqq.

Videmus igitur, Galenum sanitatem in symmetria elementorum eorumque qualitatum, in eucrasia fluidorum et in harmonia functionum posuisse, quae ut euexia s. bonus habitus apparet, morbus contra ametria et dyscrasia est. Qui sequuntur autores plerumque meri Galeni imitatores erant, et sufficiet, ex iis illos tantum eligere, qui originalitate et individualitate opinionum non plane sunt destituti. Aëtius ab Amida, ex Christianis primus de arte medica bene meritus, in libro suo encyclopaedico, „Tetrabiblion“ inscripto systematis pathologici fundamenta fere omnia in qualitatibus humidisque elementariis condidit, e quibus plerique morbi nomen accipiunt. Palladius Jatrosophista (1) Galeni theoriam morbi accuratius definivit; caussae febrium vel irritamenta externa sunt vel nimius corporis motus vel libidines vehementes vel

(1) Palladii de febribus c. 5. seqq.

evaporatio occlusa et intercepta vel suppressa, vel humores putrescentes. Nimia sanguinis non corrupti copia in vasis plethoram efficit; sanguis autem quum in putredinem abit, febris continua exoritur. Simili ratione reliquos humores primarios perlustrat morbosque inde natos.

Venimus nunc ad Arabes eorumque opiniones. Ahrun Alexandrinus in libro „Pandecta“ primam variolae descriptionem dedit, quae ex ebullienda bili flava et e sanguine calefacto et inflammato exoriatur. Scrophulosus morbus fit prava vitae ratione et penuria alimentorum. Rigor symptoma est illorum febrium, in quibus humores putrefacti extra vasa sunt. — Hhonain ebn Izhak (1) quinque genera bilis constituit: puram et rubram; citream ex admixtione substantiae aquosae ortam; vitellinam e mixtione substantiae phlegmaticae cum felle rubro natam; viridem solam ex ventriculo venientem et aeruginosam eandemque venenatam. Rigor ex introitu materiae putridae in membra sensibilia oritur. — Jahiah ebn Serapion (2) rhachitiden sub nomine Hada (gibbus) describit, quae e febre oritur; phthisin deducit ab humidis, quae ex capite in pectus defluunt, vel a locali pulmonum laesione; genus quoddam icteri morbo organico lienis fit, qui cum hepate arctissime coniunctus est. Esseram ex rubra bile vel muco salso, nitroso et varia leprae genera e praevalentia diversorum corporis humorum oriri facit, et bilem atram, quae fit depravatione bilis normalis, ab illa bili atra distinguit, quae ex depravatione san-

(1) Hhonain ebn Izhak isagoge in artem parvam Galeni.

(2) Serapii Breviarium c. 28. f. 11. seqq.

guinis oritur. — Avicenna febrem comatosam, febris intermittentis comitatae speciem, ad dyscrasiam humorem refert. Commemorandi etiam sunt hoc loco Avenzoar, qui librum „de caussis vitae et mixtione humorum“ conscripsit et Auerroës „de caussis et generibus morborum.“ Arabibus relictis de monachis, qui medicinam fere totam e Galeni praeceptis tractabant, et miracula non mirabilia in therapiam introducebant, taceamus. Saeculo decimo tertio occurrit nobis Gilbertus Anglus, qui in compendio suo medicinae (1) haud raro acutum prae se fert iudicium multaque accurate observavit. Theoria eius morborum in quatuor humoribus sic dictis cardinalibus et in qualitatibus elementariis versatur. Putredo nonnisi extra vasa fit. Phlegma salsum et dulce urinae colorem saturatiorem reddit, phlegma enim salsum calidius est flava bili illiusque depravatio inde fortior evadit. Ephemera nascitur e pituita, quae vel acida vel dulcis vel amara vel salsa varia ephemerae genera efficit. Theoria scholastica de fermentatione acida obiter hic commemoretur.

Arnold Bachuone (2), qui saeculo XIV vixit, elegantia quidem scripturae et acumine ingenii non destitutus, tamen ex opinionibus scholasticis iusto magis pendet. Humidum radicale omnibus animalibus inest elementum caloris, quod non oritur ex semine, neque ulla arte, quum semel amissum sit, restitui vel substitui potest. Febris tertianae

---

(1) Gilberti Angli compendium medicinae tam morborum universalium quam particularium, non solum medicis sed et chirurgis utilissimum ed. Michael de Capella. 4. Venet. 1510.

(2) Cf. Arn. Bachuone Speculum introduct. medic. c. 18. sqq.

duplicis tria sunt genera, quorum minus e phlegmate in vasis putrefacto et e bili extra vasa contaminata originem habet, plerumque cum comate et sopore coniunctum; medium e bili intra vasa putrescente et e phlegmate extra vasa contaminato nascitur, plerumque cum rigore et urina rubra complicatum; maius e bili intra vasa contaminata et e bili atra extra vasa putrescente fit. Maius per XL horas, medium per XXVI et minus per XVIII durat. Joannes autem Fernelius (1) primus iugum doctrinae scholasticae exuit et medicinae reformator qui dicatur dignus est. Spernenda sprevit, reiicienda reiecit sive a Galeno sive ab Aristotele vel Hippocrate enuntiata, et cogitandi libertatem restituit. In pathologia sua humores, solida et functiones perlustrat. Caussa remota in humidis est, morbus ipse in solidis et symptomata in functionibus condita sunt. Caussa morborum materialis sive essentialis in ipso corpore, non in depravatis humoribus morbosis investiganda est. In mesenterio caussam dysenteriae, diarrhoeae, melancholiae, cachexiae, phthiseos aliarumque febrium lentarum quaerit. — Properamus ad Paracelsum (2), qui non minus ad coelum sublatus, quam summo opprobrio et contemtu aspersus est, cuius merita autem iusta posteritas haud ignorat. Non omnia, ait, in elementis humorumque conditione quaerenda sunt pathologicis, quinque enim sunt caussae morborum: ens astrorum, ens veneni, ens naturale, ens spirituale et ens ideale. Ex effervescentia salium, e combustione sulphuris et e coagulatione hydrargyri

(1) Fernelii pathol. lib. I. c. 3. p. 3.

(2) Cf. Parac. Paramir. variis locis.

pleraque morborum symptomata explananda sunt; ex illis acritates chemicae oriuntur, omnium affectionum elementa. Elementum morborum, qui e crassamento humorum vel e rigiditate solidorum vel e collectione materiae terreae oriuntur, Tartarus est, qui in prima iam materia a parentibus ad infantes transire potest. Archaei vitae turbatio in quacunque corporis parte Tartarum gignit. — Sennert humores cardinales veterum conservare et defendere studuit. — Van Helmont morbos neque ad quatuor humores cardinales, qui proprie ut tales non existunt, neque alias ad caussas refert, sed ad pathema Archaei, cuius horror, ira vel aliusquisque affectus proxima morborum caussa est, quorum caussae remotae ipsius Archaei seminia sunt.

Pleraeque affectiones ex errore Archaei oriuntur, qui fermentum suum e ventriculo in alias corporis partes emittit. Putredo humorum in vasis corporis vivi fieri nequit. Abundantia laticis, Archaei errore effecta, multos morbos creat, quod veteribus incognitum erat. Est autem serum crudum, quod salsae sanguinis naturae nondum particeps factum est (1). Scabies, ulcera cutanea, hydatides, alia non, ut Galenistis placuit, ex communibus humorum, sed e localibus secretionis vitiis oriuntur, quorum origo in Archaei vitiis quaerenda est. Qua de re non directam morborum illorum curam therapeuticam instituit, sed Archaei errorem tollere studuit, quo sublato acidum aliaeque depravationes una tolluntur.

Franciscus de le Boë Sylvius, systematis chemici auctor, primus voce acrimoniae usus est, quae ei praevalen-

(1) Van Helmont ortus medicinae p. 303.

tia elementorum chemicorum fluidorum proximaque morborum caussa erat. Omnes autem acrimoniae ad duo genera, acidum et alcalinum, referri possunt, ideoque duo tantum sunt morborum genera, quae vel ex acrimonia acida vel alcalina oriuntur. Bilis multifario modo acrimonia afficitur, quoad mala alimenta, aër depravatus et contaminatus, alia in corpus agant.

Fit acida vel alcalina, acida crassior evadit et infarctus efficit, alcalina calorem febrilem creat, rigorisque antecedentis caussae halitus viscidi sunt. Omnes febres acutae et continuae sedem suam in illa bilis acrimonia habent. Effervescentia bilis cum succo pancreatico omnes fere ceteros morbos gignit. Plerique autem morbi et acuti et chronici ex aciditate vel lymphae vel succi pancreatici oriuntur(1). — Thomas Willis(2) sanguinem ad fermentationem pronum semperque huic expositum esse contendit; fermentum autem quodque humidum fit, in quo spiritus, sulphur vel sal certa quadam ratione praevalent. Ex fermentis omnes morbi oriuntur.

Ex adversariis theoriae chemicae nominandus mihi est Fridericus Hoffmannus (3), qui docuit, sanguinem multis in morbis extenuatione viscida laborare, ex hoc numero sunt scabies, variola, arthritis, pestis, febres malignae et dysenteria. — Ex Boerhavii opinione (4) „cacochymia est illa

(1) Eiusd. methodus medendi, praxis medica cet.

(2) Thomas Willis, de fermentatione.

(3) Fr. Hoffmanni exercitatio acroamatica de acidi et viscidi insufficientia pro stabiliendis omnium morborum caussis.

(4) Ant. de Haen, praelectiones in Herm. Boerhav. institutiones pathologicas. Tom II. §. 719 seqq.

humorum qualitas, quae laedit functiones. Est ea vel haerens in fluidis, quatenus spectantur seorsim partes componentes simul massam fluidi, vel in tota mole fluidi simul considerata, ut parte ad constituendum corpus humanum concurrente.“ De Haen in commentario suo Leuwenhoek, Rob. Boyle et Domenico Guilielmini laudat, quorum opera inprimis mixtio sanguinis melius cognita et confirmata est, et quatuor instituit acrimonias, ex quibus cacochymiae oriantur: alcalinam, acidam, ammoniacalem partim et muriaticam, denique oleosam.

Borelli, Jatromathematicorum primus, motum musculorum ad leges staticas, ratione habita chemicae conditionis, retulit. Secundum illum fluidum nerveum acrefactum irritatione cordis febrem gignit, sanguinis mixtione non alterata. Quaevis depravatio humorum excretorum non in sanguine, sed in vitiis organorum excernentium quaerenda est. Nicolaus Robinson statum humorum e solidorum statu pendere facit, qua de re pravae fluidorum excretorum mixtionis caussa vitiosi solidorum in organis excernentibus motus sunt. Omnes caussae morbosae in partes solidas agunt, omnesque morbi inordinatis earum motibus consistunt. Jatromathematici dum satishaberent minutissimarum atomorum angulos et curvaturas vasorum perpendere et numerare, et Chemici in doctrina de fermento, de salibus corporis humani eorumque mixtione firmissimam medicinae basin instituisse se ratiocinarentur, Dynamici et inprimis quem statim laudabimus G. E. Stahl psychicam etiam partem spectabant. Ex Stahlii opinione plerorumque morborum fundamentum est plethora, et in explanandis affectionum caussis acrimoniarum et depravationis sanguinis nulla ratio habenda est, partim quia humores rarissime depra-

vantur, partim ob celerem illorum motum, quo prohibentur, quominus vim aliquam in vasa exerceant. Actio naturae humorum propensionem ad putredinem atque decompositionem totalem tam fortiter oppugnat, ut rarissime humorum depravatio morbos, nedum mortem efficiat (1). Arthritidem vel rheumatismum in acrimoniis quaerere falsum, arthritis enim, ut omnibus cognitum, nonnisi certis aetatibus propria est, in quibus de certa quadam acrimonia sermo esse non potest, quum infantes tot res acres et interdum etiam plus ingerant et edant adultis. Negari quidem non potest, acrimoniam aliquam existere posse, at vitiatus motus tonicus, acrimoniae caussa, semper magis accusandus est quam ipsa acrimonia (2). Rheumatismus autem fit congestionibus, quarum finis, evacuatio, non completa est. Tardus sanguinis motus in vena portarum communis fons hypochondriae, haemorrhoidis, arthritidis, melancholiae et lithiasis est, et omnes fere cachexiae ex eadem caussa pendent cet. (3). — Bordeu cuique organo vitam propriam tribuit propriamque materiarum evaporationem, ex qua nimis aucta cachexiae oriuntur, quarum tot genera sunt quot varia corporis humani organa. Est igitur cachexia seminalis, biliosa, sanguinea, lactea cet. (4).

---

(1) Theoria medica p. 602 seqq.

(2) Propempt. inaugur. de pathologia salsa ad Holl. dissert. de requisitis bonae nutricis. Hal. 1702. 4.

(3) Stahl et Dieffenbach, dissert. de podagrae nova pathologia. Hal. 1710.

(4) Bordeu, recherches sur les maladies chroniques, leur rapport avec les maladies aigues, leurs périodes et leur nature. Paris 1775. 8.

Fridericus Hoffmann, scholae mechanico-dynamicae auctor, cachexiae caussam in atonia glandularum indeque orta stagnatione quaerit. — Cullen hanc cachexiae definitionem dat: Cachexia est ea classis morborum, quae constat ex depravato totius organismi statu vel maioris partis organismi et habitus corporis sine primaria pyrexia aut neurosi cum hoc statu coniuncta (1). Dividit cachexias in emaciationes, intumescentias et impetigines, et morbi quos dicit cachecticos sunt atrophia, phthisis, hypertrophia, emphysema, hydrops, rhachitis, scrophulosis, syphilis, scorbutus, icterus.

Jam autem rivuli sunt claudendi, quare ex recentioribus brevi tantum Hartmanni, Raimanni, Starkii opiniones perlustrare nobis licet. Hartmannus (2) dyscrasiam nonnisi medium quid inter morbum primarium et secundarium esse censet; negat primarium humorum morbum esse posse, humoribus quippe modo formatis statim in partes solidas transmutatis. Processus nutritionis degenerare potest, qua ex degeneratione substantia organica qualitatem induit naturae finique organorum alienissimam. Caussa illius degenerationis non solum in malis conditionibus externis quaerenda est, sed usque ad generationem organismi eiusque intimam vitam prosequi istam debemus. Ex hoc numero sunt habitus scrophulosus, rhachiticus, arthriticus cet.

---

(1) Cullen, practice of physic. T. II. p. 353. part. III.

(2) C. Hartmann, Theorie der Krankheit etc. Frei nach dem Latein. vom Verfasser. Wien 1823.

Ex Raimanni (1) opinione cachexiae sunt morbi chronici universales, qui sine primaria febri aut neurosi e vitiosa humorum fabrica, ex penuria sanguinis et e nutritione non sufficiente constant, et colorem cutis pallidum, lividum, viridescentem vel terreum, laxitatem partium solido-mollium, maciem et decrepiditatem prae se ferunt. Caussa cachexiarum non temere in sola actione vitiosa systematis vasorum vel in solis humorum vitiis, sed simul in utrisque quaerenda est cet. Stark (2) sanguinis qualitatem vario modo dyscrasicam fieri posse aït. Dyscrasia vel physicas sanguinis qualitates, vel conditionem mixtionis et elementa chemica, vel organicas qualitates ratione habita corpusculorum sanguinis et plasmatis, afficere potest. Dyscrasiae non universales esse debent, sed, sanguine in statu sano in variis corporis humani partibus iam diverso, in morbis etiam dyscrasicis differentiae qualitativae sanguinis existere possunt, unde dyscrasiae partiales vel locales non omnino negandae sunt.

---

(1) J. N. Raimann, Handbuch der medizinischen Pathologie und Therapie. Bd. 2. p. 212. Wien 1823.

(2) Lib. cit. p. 911.

VITA.

Ego Maximilianus Benedictus Jaffé, fidei veteri addictus, natus sum a. d. IX. m. Januarii a. MDCCCXX Hamburgi, patre Benedicto Jaffé et matre Sara e gente Prag, cuius praematuram mortem lugeo semperque lugebo. Tres annos et dimidium natus in scholam missus sum inferiorem, ubi usque ad annum decimum tertium literarum elementis instructus sum. Privatim deinde per annum institutus in tertiam Joannei Hamburgensis classem, quod adhuc sub spectat. Kraft floret, receptus sum illudque institutum per sex annos frequentavi. Testimonio maturitatis instructus a. MDCCCXL mense Maio Berolinum discessi et ab Ill. Twesten, t. t. rectore magnifico, in numerum civium academicorum receptus, ab Ill. Hecker, t. t. decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus sum.

Dehinc per octo semestria hisce interfui scholis: Ill. Gabler de logice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Kunth de botanice; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Mitscherlich de chemia experimentali; Cel. Magnus de physice; Ill. Steffens de psychologia; Ill. Ehrenberg de anatomia et physiologia animalculorum infusoriorum; Ill. Hecker de pathologia generali; Ill. Horn et Cel. Romberg

de pathologia et therapia speciali; Cel. Mitscherlich de materia medica; Ill. Schlemm de osteologia et de ligamentis et aponeurosibus; Ill. Müller de anatomia corporis humani, de anatomia organorum sensuum, de anatomia comparativa, de physiologia, qui idem cum Ill. Schlemm artem cadavera rite secandi me docuit; Exp. Graefe de chirurgia; Ill. Casper de arte formulas conscribendi; Exp. Ascherson de arte fascias imponendi; Cel. Kluge de fracturis et luxationibus, de arte obstetricia, qui quoque cum Cel. Froriep aciurgiam et theoreticam et practicam me docuit; Cel. Romberg de propaedeutiee clinica; Exp. Schoeller de arte obstetricia.

Exercitationibus clinicis et policlinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, gynaecologicis interfui Cel. Wolff, Ill. Juengken, Ill. Schoenlein, Ill. Dieffenbach, Cel. Kluge, Ill. Busch, Cel. Romberg, Ill. Wagner, Exp. Angelstein, Exp. Boehm.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago quam maximas. Tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso rite absolutis, iam spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Solum pulsum in morbis acutis venaesectionem indicare non posse.
2. Graviditatem non esse statum morbosum.
3. Narcotica in morbis infantum numquam esse adhibenda.
4. Miasmata nonnisi ex vegetabilibus oriri.